



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 5. Silentij amantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

pietati referet. Rursum tō aperuit sapientia, innuit, sapientiam habitare in corde ejus; illudque quasi animare movere, & regere: ut non tam virago, quam sapientia ipsa per os ejus loqui, & per manus ejus operari videatur. Itā S. Mechtildis adeo arcte servavit silentium, ut eam mutam putares. Sin loqueretur; tantā id gratiā faciebat; ut cum angelo colloqui existimaret, ait Engelhardus in ejus vita c. 5. Cornelius hic.

Tempus tacendi, & tempus loquendi. Eccl. 3. 7. Hugo à S. Vict. instit. mor. c. 16. Non ait Salomon, tempus loquendi, & tempus tacendi; sed, tempus tacendi, & tempus loquendi: quia prius in silentio forma loquendi sumitur; quæ postmodum loquendi tempore in voce tenetur.

Loquebatur rectè. Marci 7. 35. Muta lingua sanata loquebatur rectè: mutum silentium linguam in bonos solvit sermones. S. Gregor. l. 30. in Job: ille scit rectè dicere, qui ordinatè novit tacere. Hac arte probatur vox illa clamantis in deserto. Ut enim munus vocis præcursor Domini inculpabiliter exercere posset; non aliter, quam silentii beneficiò, in lucem, prodiit. Luc. 1. 20. *eris tacens, & non poteris loqui.* Et mater ejus Elisabeth continebat se mensibus quinque. Bæza t. 2. l. 10. c. 9. §. 6. Priori locò collocatum est tempus tacendi; & post silentium dedit tempus loquendi. S. Gregor. Nyss. hom. 8. in Ecclesiasten.

Solutum est vinculum lingue ejus, & loquebatur rectè. ib. Post ligatam diu linguam, ipsa soluta, mutus rectè loquitur: nec enim rectè loquisciet, qui non scivit tacere. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 7. sect. 4. Obf. 1.

Ecce eris tacens, & non poteris loqui. Luc. 1. 20. Pater tacet ex poena. ô quantò silentiò, vox nascitur! ô quantā taciturnitate tuba sæculis in clamatura generatur! Nōtent maximè Religiosi, quòd vates, mutes existens, vocem Domini, id est, Joannem generavit: ut significaretur; quàm sit proficuum silentium. Diez. S. Joannes. Non vacat à mysterio, quòd mutus pater Joannem genuit, qui vox clamantis fuit: semper enim melius vox in silentio generatur; & spiritualis otii quiete sapientia foris proferenda percipitur. Galfridus lib. allegoriar. sup. Luc.

Ille loqui veraciter novit, qui prius bene tacere didicerit: quasi enim quoddam nutrimentum est verbi, censura silentii. Hinc etiam per Salomonem dicitur: *tempus tacendi, & tempus loquendi.* Eccl. 3. Non enim ait, *tempus loquendi* & *tempus tacendi* sed prius *tacendi* præmittit tempus, & postmodum subdit *loquendi*: quia non loquendo tacere, sed tacendo debemus loqui discere. S. Gregor. hom. 11. in e. 3. Ezech. Mea certè sententiā: qui didicerunt loqui, etiam silere didicerunt. Philo lib. de silentio.

§. III.

Silentium sapientia amicum.

Ecce Magi. Matth. 2. 1. Magi, id est, sapientes; ut exponit S. Anselmus, S. Thom. Beda. S. verò Basilius orat. de Chr. ortu: *silentes* vocat: quia Philolopi olim ab hominum conversatione vivebant separati. Sylveira hic c. 4.

Non est æternæ sapientia verus amator, qui procaciter loquitur, S. Laur. Just. discipl. monast. perfect. c. 15.

Quam speciosa, quamque opportuna, & accommodata est nobis virtus silentii: aliud profus nihil, quam sapientissimarum cogitationum mater. S. Antiochus Abb. hom. 103.

Sapientia est plena res opportunum silentium, omnique præstantior sermone. Plutarch. de instit. liber.

§. IV.

Silentium orationi, & contemplationi, amicum.

Malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo cum edificaretur. 3. Reg. 6. 7. Dum strepitus humani cessat alloqui, constituitur in te per silentium templum Spiritus Sancti. Templum quippe Dei per silentium crescit. B. Petrus Dam. l. 7. ep. 6.

Sedebit solitarius & tacebit: quia levavit se super se. Thr. 3. 28. Solitarius, dum tacet, se elevat super se: quia mens humana, dum intrā silentii claustra undiq̄ circumcluditur, in superiora sublimis erigitur; ad cælum per celeste desiderium rapitur; & in amore ejus per amoris spiritum inflammatur. Idem ibid.

Factum est autem post hæc verba fere dies octo; & assumpsit Petrus & Jacobum &c. Luc. 9. 28. Ut magis taciturnus, & silere valentes. Theophylactus hic.

Tacentes, & orantes, Dominus ut plurimum visitare dignatur. S. Laurent. Just. de discipl. monast. c. 15. Tacentibus hominibus, loquitur Deus. Sim. Casl. l. 4. in Math.

§. V.

Amantes silentii.

*A*Cepsemas sexaginta annis domunculā inclusus, non visus, neminem videns, nec loquens, per exiguum fossam alimentum accipiens. B. Theodoretus histor. PP.

S. Flavianus Anachoreta cellulae inclusus fuit sexaginta annis, neminem videns, cum nemine loquens. Bollandus 16. Febr.

§. VI.

Alia motiva.

Tardus autem ad loquendum. Jacobi 1. 19. Deus ipse per æterna sæcula, in sua sapientia, & contemplanda, & fruendā, conquivit: & tardè, purā initiò Mundi, & temporis,